JULIUS — SEPTEMBER



ANNUS I 1938 Num. 3.

Ad Lectorem

Non est, qui nesciat, qualem influxum in vitam hominum exerceat Immaculata Virgo. Et iam a XX saeculis Immaculata Virgo amorose filios sibi educat, qui eo magis participant in Eius Filii vita supernaturali, quo magis Ei oboediunt.

In antecedentibus foliis consideravimus, quali amore omnes catholici toto orbe dispersi Immaculatam suam Matrem prosequntur, et de influxu Immaculatae nostris praesertim temporibus in quibus Ipsa magis ac magis nobis se appropinquat.

In folio praesenti volumus indicare, quanti momenti sit cultus Immaculatae Virginis in educandis hominibus cultis.

Iamque nos sacerdotes in efformandis his Mariae filiis plurimum posse — est evidens. Immaculata etiam Virgo vult per cor sacerdotis in cordibus omnium hominum, praesertim vero catholicorum suaviter dominari. Qua ratione noster amor Mariae tam ardens debet esse ut non solum Eius asseclae simus, sed milites, vere Milites Immaculatae.

En ratio, quae nos sacerdotes magis propinquos sibi reddit.

En ratio, quae ad laborem, prorsus immemorem utilitatis propriae nos ducit.

DIRECTIO „MILITIS IMMACULATAE"

Acta SS. Congregationum

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum

INSTRUCTIO DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA SEDULO CUSTODIENDA

...Tria sunt prae oculis habenda (in. can. 1269): a) Ssma Eucharistia asservari debet in tabernaculo inamovibili et undequaque solide clauso; b) tabernaculum tam sedulo cutodiendum est ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur; c) clavis tabernaculi diligentissime sacerdoti custodienda est.

— a) **Tabernaculum sit inamovibile et undequaque solide clausum.** Ab hoc praecepto per se gravi nec Episcopus valet dispensare nec ei consuetudo etiam centenaria et immemorialis derogare.

...Optimum sane consilium foret si tabernaculum sit vera arca ferrea, quam vocant (vulgo cassaforte, coffre — fort) adeo ut nec perforari nec effringi possit mediis, quae ordinarie adhibentur a furibus, eaque validis ferreis seris altari arcte debet devinciri in infimo eius gradu aut parieti adverso. Haec vero ferreae arcae aut in forma ciborii extrui debent, quae dein sunt marmoreo lapide contegendae ceterisque ornamentis condecorandae, adeo ut speciem cuiusdam operis affabre confecti prae se ferant... vel saltem ita conficiantur ut in tabernaculis iam existentibus possint immitti.

...Porro Sacra haec Congregatio onus non imponit huiusmodi comparandi tabernacula in ecclesiis, quae ordinariis sunt instructae ciboriis, dummodo reapse securitatis idonea praebeant argu-

menta, quamvis suadeat ut ea adhibeantur in ecclesiis noviter aedificandis.

— b) **Tabernaculum tam sedulo est custodiendum ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur.**

Non sufficit ut in loco consistat custos, satis non est ut ciborium tali sit praeditum firmitate ut neque terebra transfodi possit neque scalpro disiungi..., tertium praesidium a iure requiritur: sedula custodia.

Quod vero attinet ad custodem, hic, licet sit optandum ut sit clericus, immo sacerdos, non prohibetur quod sit laicus, modo clericus respondeat de clavi, qua est reserandus locus ubi Eucharistia asservatur... (Custos) nunquam ecclesiam deserat tempore quo haec fidelibus patet et ab his magis deserta relinquitur, idque pressius est urgendum in urbium ecclesiis.

...In pagis vero obligatio Eucharistiae custodiendae prudentiae sacerdotis, relinquitur, inspectis loci adiunctis, e. g. tum per se ipse aliquoties in die ecclesiam invisendo, tum vigilantiam per diem committendo probatis personis circum morantibus, tum privatam paroecianorum visitationem Ssmi Sacramenti praestituendo variis diei horis peragendam.

...Praecipue cautiones autem pro nocturnis horis adhibendae... recensentur: 1° omnes ecclesiae fores communiantur... 2° accurate est inspiciendum quoties vespere ecclesiae obserantur ne quis homo malevolus includatur; 3° officium ecclesiae claudendae eiusque claves committantur personis omni suspicione maioribus, praecipue vino non deditis. Hisce cautelis aliam valde commendatam addere velimus... nempe collocationem opportunis in locis tintinnabulorum vi electrica pulsandorum, dum portae aperiuntur, vel eaedem aut tabernaculum aut altare aut mensa aut candelabra tanguntur, quorum ope sacerdotis custodisve attentio repente provocatur; aut speciales electrici apparatus, qui ecclesiam repente illuminent...

Curandum est praeterea ecclesiarum rectoribus ad furta praecavenda ut in tabernaculis, quantum fieri possit, non relinquantur pyxides et vasa sacra magni pretii... Pariter abstineant a decorando altaria et sacra simulacra sculpta vel picta eximiis muneribus votivis, qualia sunt aurei et argentei anuli, catellae, monilia, inaures, margaritae et similia: quod si id facere praestet occasione cuiusdam diei festi, eodem exacto, ea munera ab ecclesia satagant removere causamque remotionis probe fideles edocere.

— c) **Clavis tabernaculi diligentissime a sacerdote custodiatur.**

...Praecipitur ut clavis tabernaculi nunquam super mensa altaris aut in claustro ostioli relinquatur, ne tempore quidem quo mane divina officia ad Sacramenti altare et Sanctissimae Communionis distributio peraguntur, praesertim si hoc altare haud in conspicuo sit. Hisce vero absolutis, clavis vel ab ecclesiae rectore domi custodiatur aut ab ipso continenter gestetur, amissionis periculo remoto, vel in sacrario, et quidem in loco tuto et secreto, reponatur altera clavi claudenda, quam alteram clavem uti supra rector tueatur.

Sedulo perpendant sacerdotes Ssmae Eucharistiae custodes officium custodiendae diligentissime clavis S. Ciborii esse grave... Sacerdos, cui ius et officium ordinarie et per se competit custodiendi clavem, est rector ecclesiae vel oratorii: quodsi discedat, potest et debet pro tempore absentiae alii sacerdoti commitere custodiam; et si clavem in sacrario retineat sub alia clavi, potest hanc tradere aedituo, pro tempore quo ipse abest, et clavis tabernaculi necessaria esse queat: quod praxis ubique recepta manifeste confirmat.

Si agitur de ecclesia paroeciali, clavis parocho custodienda est... In ecclesiis non paroecialibus ubi ex A. Sedis indulto asservatur, custodienda est cappellanis seu rectoribus, nunquam laicis, etiamsi patroni sint: sine apostolico in-

dulto laici per se clavem ciborii retinere nequeunt.

... Clavem S. Ciborii non esse custodiendam inter septa monasterii. Ipsa est igitur in posterum asservanda in sacrario... ac praesertim nocturno tempore in loco tuto, solido atque secreto reponenda, et quidem duabus obserato clavibus, quarum altera communitatis antistitae est custodienda per se ipsi aut per vicariam et altera moniali cuidam, puta sacrario addictae, adeo ut utriusque concursus ad reserandum locum, de quo supra, requiratur.

...Quod demum refert ad privata oratoria, quae ex apostolico indulto facultate pollent Ssmam Eucharistiam asservandi, ciborii clavis custodiri solet in sacrario potius cura familiae quam cappellani... clericis vero quacumque dignitate fulgentibus perpendendum, grave sane officium ipsis impositum esse vigilandi ne clavis ad cuiusquam manus perveniat etiam de ipsorum familia vel famulatu.

...Quoties furta sacrilega quibus Ssma Eucharistia violatur in sua Dioecesi (quod Deus prorsus avertat) quacumque de causa acciderint, loci Episopus vel per se, quod est optandum, vel per suae Curiae Officialem, ad id specialiter delegatum, oeconomicum semper conficiat processum adversus parochum aliumve sacerdotem tam saecularem quam religiosum etiam exemptum Ssmi Sacramenti custodiae praepositum, actaque processus idem Episcopus ad hanc S. Congregationem transmittat cum suo voto prae primis accurate describat eiusdem furti temporis et loci adiuncta, et dein, actis processus eiusdem prae oculis praesertim habitis, renuntiet cuius culpae aut negligentiae culpabili admissum facinus sit tribuendum atque poenas canonicas contra sontes infligendas proponat et huius S. Dicasterii mandata praestoletur.

...Ut autem locorum Ordinarii poenis prosequi queant et delinquentes religiosos utriusque sexus etiam exemptos iuxta has apostolicas praescriptiones in negotio, de quo agimus, vi huius instructionis facultates comittimus necessarias cumulative cum eorum Superioribus religiosis Maioribus, quibus pariter haec S. Congregatio idem onus imponit, reservata tamen uni Episcopo facultate processum conficiendi.

Suprema Sacra Congregatio S. Officii

DECRETUM I

Damnatus atque in indice librorum prohibitorum insertus est liber cui titulus:

Initiation au Nouveau Testament, O. Lemarié.

DECRETUM II

De speciali devotione erga Sacrum Caput D. N. Iesu Christi non introducenda.

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii an specialis devotio erga Sacrum Caput D. N. Iesu Christi introduci possit.

In Plenario Conventu habito Feria IV, die 15 Junii 1938, Emmi ac Revmi DD. Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, re mature perpensa et praehabito RR. DD. Consultorum voto, attento quoque Decreto diei 26 Maii 1937 „De novis devotionis formis non introducendis", decreverunt specialem devotionem erga Sacrum Caput Domini Nostri Iesu Christi non esse introducendam.

Et sequenti Feria V,die 16 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exmo ac Revmo D. Adssesori Sancti Officii concessa, hac Emmorum Patrum resolutionem Sibi relatam approbare et confirmare dignatus est, et publici iuris fieri iussit.

(Ex Actis Ap. Sedis, num. 7 et 8 h. a.)

Immaculata Virgo quam vim exerceat in vitam moderni hominis culti

Vita spiritualis humanae societatis in tendentiis, desideriis hominum cultorum contrahitur atque resplendet. Hi enim programma politicum et sociale civitatum formant, hi regunt et repraesentant ideas, quas demum multitudo accipit easque sequitur.

Ut cultus Immaculatae Virginis eiusque partes in vita hominis culti nostri temporis apertius ante oculos prodeant, attendendum est, quomodo homines culti nunc vivant, quid eorum mentes et animos conformet?

Ad quam quaestionem ipsa vita respondet.

Moderni homines materialismo indulgent, quod in eorum voluptatibus, studiis, opinionibus, quas praedicant, quod etiam in eorum vita quotidiana manifestum fit. Res quibus maxime delectantur sunt, curricula, hippodromi, progressus in artibus technicis, magis magisque amoena et bonis temporalibus affluens vita, simulque a conspectu eorum recedit finis vitae eiusque secundum S. Evangelium magnum et difficile negotium: evanescunt transcendentales tendentiae. Ideae, quae primum occupant locum in vita sociali et politica tantam immanitatem spirant et ferociam, ut nec mirari liceat, eas in admiratoribus suis pessimos sensus inhumanos et saevos excitare. Inde sine discrimine sive in communismo sive in nationalismo exagerato immanitas et crudelitas ut praecipua signa erumpunt.

Hodierna societas humana culta ex tam celeri transformatione post bellum mundiale in democraticam, adeo multa et nova hausit elementa adhuc cruda et barbara, ut summopere differe videatur a societate ante bellum mundiale educata. Qui status non est tamen duraturus et est cui mederi possit.

Cultui Beatissimae et Immaculatae Virginis inexhaustae insunt vires idoneae, quae transforment humanam societatem, eius sanent vulnera, satient desideria, leniant dolores.

Et quidem iam non semel Immaculata Virgo transformare valuit totas societates.

Fridericus Ozanam clarus scriptor catholicus XIX s. (mort. a. 1853.) hanc depinxit imaginem spiritualis transformationis hominum temporibus peragrationis populorum: „ex silvis exeunt barbari; iter faciendo comburunt oppida, quasi ad nihil aliud creati nisi ad delendum. Tu vero tantopere eorum corda mitigas, ut ante acervum lapidum se demittant, seipsos carpentis subiungant, architectis obtemperent, ut Tibi templa aedificent! Tanta patientia ornasti eos ut nec saecula numeraverint in quibus admiratione digna: portas, porticos turres templorum fingebant. Tamque audaces fecisti eos, ut eorum ecclesiae cathedrales longe superent monumenta antiquitatis, tam castos, ut eorum opera cum tota multitudine signorum castitatem spirent et supraterrenum amorem. Tu arma manibus eorum excussisti, qui modo gloriam suam in sanguine fundendo ponebant et loco gladii manibus aptasti trullam et cestrum, perque trecentos annos tenuisti eos in his pacem spirantibus Tuis officinis".


Quae transformavit animos septemtrionalium barbarorum, imbuit sanctitate, vastatores commutavit in opifices aedificatoresque magnificorum templorum, etiam contemporaneos homines difficillimis conditionibus vitae oppressos, erroneis opinionibus deceptos, veneno materialismi et cupiditatum infectos commutabit. Si, ut diximus, anima modernorum hominum cultorum dura atque immanis facta est, Virgo Placidissima caelestis dulcedinis, bonitatis, misericordiae plena eam leniet; materialismus semper cupiditates, „cultum corporis" comitatur: Immaculata et Castissima Virgo haec zizania, nostris temporibus florentia, delebit.

Quorum omnium morborum animarum fons atque origo est, quod modernus homo tendentias atque desideria transcendentalia neglexit. Sanctissima Virgo par est, quae animas humanas a terrenis gaudiis abstrahat et ad ea quae „sursum sunt" dirigat. In stabulo in Betleem Maria neonatum Salvatorem et Redemptorem mundi non solum pastoribus sed etiam sapientibus ostendit. Illa in animis advenarum ex Oriente qui florem eius temporis virorum cultorum repraesentabant, grana veritatis et fidei seminavit. Deus consilia sua non mutat. Per Mariam Christum cognovimus et semper per Eam monstrabitur nobis.

Catholici vero homines culti in difficultatibus vitae, in pugna cum malo in Ea certum et constans auxilium quovis temporis momento invenient, quia creator mundi hoc magnum opus, ut malum deleat, ut caput serpentis conterat, Immaculatae Virgini credidit.

Sollemnia Vota Ludovici XIII

in IV Nationali Congressu Mariano renovata



Ecclesia cath. B.M. Virginis in Boulogne

Diebus 20 — 24 Iulii in Boulogne—sur—Mer, in Gallia cum speciali pompa IV congressus Marianus habitus est.

Occasione tertii centenarii votorum Ludovici XIII, qui seipsum cum toto populo in ditionem et tutelam Mariae tradidit, occasioneque millesimi trecentesimi annuarii adventus ad littora Galliae miraculosae statuae B. M. V. episcopi Galliae nationalem congressum cultui B. M. V. Reginae maris dicatum in eam urbem convocaverunt, in qua miraculosa haec statua a trecentis annis honoratur.

Congressus numerosissimus fuit, maximamque pietatem populi erga Mariam monstravit. Omnes Purpurati Patres, archiepiscopi et episcopi Galliae sub ductu Card. Liénart, legati a Latere ad Mare Britannicum advenerunt. E Belgia Card. Van Roey cum tribus episcopis venit, e Britannia ep. Myers, e Canada ep. Courchesne, Antiochia Card. Tappuni, connatinalium turbas secum trahentes.



Ante congressum sollemne triduum cum publice institutis supplicationibus, contionibus, processionibus celebratum est.

Feria IV, d. 20 Iulii, h. 4. 30 post mer. Em. Legatus a Latere speciali curru viae ferreae in stationem advenit et deinde sollemniter in ecclesia cathedrali exceptus est, ubi litteras Ssmi D. Papae Pii XI. apostolicam benedictionem omnibus, qui congressui interessent, concessam continentes legit.

F. V. pulcherrimis sacris pro pueris horis matutinis peractis, post meridiem processiones, quibus plurima millia liberorum e tota Gallia, historicis variisque regionibus Galliae propriis vestimentis indutorum, interfuerunt peractae sunt.

Sequentibus diebus de sacris marianis peregrinationibus, de statu vitae religiosae, deque mediis ad promovendum cultum Mariae in Gallia aptis referebatur.

Sabbato autem vespere innumerabiles turbae peregrinorum urbisque incolae singularem egregiamque caeremoniam adventum ad littora Galliae statuae B. M. V. sub titulo „Maritimae" honoratae monstrantem intentis oculis contemplabantur. Quod factum canonicus Le Roy in sua „Histoire de notre Dame de Boulogne" hoc modo describit:

„A. 633, imperio Dagoberti Regis portum Boulogne navis remigibus remisque orbata attigit. Lux quae in nave fulgebat dimidiam fere partem incolarum loci ad litus conduxit. In nave statua B. M. V. in ligno sculpta trium pedum longitudinem habens, et Infantem Iesum sinistra manu tenens, conspiciebatur. Qod signum tantam maiestatem tantamque divinitatem spirabat, ut modo pelagi rabiem domare, modo corda ad sui venerationem inflammare videretur. Statua haec in ecclesiam sollemniter translata est, brevique novas aedes in superiori urbis parte domicilium accepit".

Quae repetita gesta sc. appellendae ad terram navis cum statua B. M. V. tanta vi imbuta fuerunt, ut collectae in litore multitudini lacrimas excus-



Legatus a Latere ad congressum
EM. Card. Liénart

A sinistra: Fossores de Lens in sollemni processione statuam B.M.V. Lauretanae portant. A dextra: Magnifico apparatu decorata via tempore congressus. Profundius a sinistris turres ecclesiae cath. B.M. Virginis Maritimae.





serit. Congressui die dominica oratio celebris defensoris Immaculatae V. Card. Gerlier, Primatis Gallorum, historicaque processio finem imposuerunt.

Omnes ex dissitis etiam regionibus advenientes peregrini in domos suas memores redierunt votorum, quae tempore congressus emiserant quaeque magna illa vota Ludovici XIII in memoriam revocant. Cumque, quantum infortunium Galliae impenderet, si in vita morali familiarum peccaretur, intelligerent, ex omni statu sociali 350 viros catholicos, patres familiarum elegerunt, qui denuo rem publicam in tutelam Mariae Virgini redderent. Cuius ferventis pietatis et fidei in potentem tutelam Reginae caeli symbolum classici sunt, qui e portu Boulogne quotidie in tumultuosum mare proficiscentes oculos suos cum fiducia ad proceram turrem ecclesiae cathedralis coniciunt, quae supra miraculosam statuam extollitur, et caput nudantes vitam suam in manus STELLAE MARIS ponunt.

Sequens congressus nationalis marianus in Gallia a. 1940 in Puy celebrabitur.

De rationibus ac viis quibus magistri scholarum ad communismum alliciuntur

I. ACTIO COMMUNISMI

Dubitari nequit, quin numerosissimam et etiam validissimam partem virorum cultorum magistri scholarum constituant, quippe qui iuvenes puerosque educent, eorum iuveniles animos forment, hacque opera grave munus et officium civile exsequantur. Qua ratione moti fautores variarum partium continuam indeffessamque operam navant, ut eosdem per magis magisque habiles et ad hoc accommodatas vias ditioni suae subiciant.

Etiam communismus a tempore quo a paucis Iudaeis et Russis de integro ordinatus est hanc rem numquam deseruit. Plus minus ad a. 1934-5 inter magistros scholarum extra territorium sovieticum methodo sectarum agebat, zelosos fautores communismi in parvas societates collegendo, palamque principia sua atheistica declarando et disseminando. Quae tamen ratio agendi utpote nimis clara ac patens plures ad communismum attrahere non valuit. Quam ob rem mutata ratione propagandi communismi in mundiali congressu VII, a. 1935 Moscvae habito, mutatus est etiam modus agendi cum magistris scholarum, qui a conditionibus locorum, maxime vero a traditionibus quoque loco vigentibus tum a genere societatum magistrorum dependet. Ubique tamen id quod intenditur et quod primo loco ponitur est, suos reddere quam plurimos ex magistris scholarum et deinde secundo loco per eos ad eversionem praeparare teneros animos iuvenum et puerorum perque eos totas civitates.

Eversio enim mundialis ultimum finem repraesentat omnium actionum consiliorumque Kominterni. Communistae non celant neque celare possunt, ut societas humana ad revolutionem adduci possit, rem ipsam postulare, ut iuvenes procul a quacunque religione educentur. Quae cum ita sint, etsi speciem prae se ferunt non curantium religionem, re vera tamen contra omnes religiones insurgunt educationemque atheam solummodo promovent. Rationibus quidem agendi prohibentur quominus haec palam asseverent, ideoque libertatem in foro conscientiae defendunt, miseros homines religione eiusque praeceptis urgeri queruntur, attamen haec solummodo ad tempus: inevitabile bellum cum „superstitione" ut ipsi religionem nominant essentialem conditionem educationis iuvenum constituit. Communismus enim in sua sibi a Marxio tributa specie vix fingi potest sine pugna cum Deo, quia, etsi monstruose hoc sonat, opus est diaboli.

Ultimis temporibus communistae in educatione methodum communismi clandestini i. e. latentis adhibent, ad extra tantum figmenta humanitatis saeculique portantis. Ad quod illustrandum exempla ex civitatibus maiori numero protestantium excellentibus vel constitutione liberari democratica utentibus petita afferre liceat, quia ibidem conditiones evolutioni communismi faventes eius finem faciliorem reddunt.

In Hollandia, Dania in circulis paedagogorum doctrina dominae Montessori applauditur, quae in educatione pacifismum, mechanisticum rationalismum, amotionem affectuum in vita iuvenum, quin etiam totalem abiectionem elementorum nationalium usque ad delectamenta puerorum inclusive propagat, experimentaque ut discipuli seipsos, in oppositione ad auctoritatem parentum et magistrorum, imperio suo teneant, agit. In Norvegia autem acceptum est magistris scholarum systema d. Reichii, qui psychoanalysim Freudii cum marxismo iungit propagatque inter pueros et suadet usum vitae eiusque voluptatum usque ad satietatem hac nixus opinione, cupiditate studioque barbaro unumquemque puerum natura sua incitari, quae solvi debeant. Quare in scholis ludi instituuntur, qui disiectione instrumentorum scholarium terminantur. Quid est hoc nisi secundum Marxii praecepta praeparare futuros rerum novarum molitores?

Similem doctrinam in Suecia Britannus Niel propagat. In qua terra etiam coniuges Myrdal agunt, qui censent liberos separandos esse a parentibus et in vitam puerorum secundum morem sovieticum collectivismum inducunt. Quae et similes doctrinae non deficiunt etiam in aliis terris, et communiter communismum crescere et viribus abundare omnibus locis, ubicumque schola sacrae fidei debitum locum tribuens decrescat, iam satis perspectum est. Qua de causa communistae eorumque fautores scholam, quae confessionem religionis exigat, maximum impedimentum suum habent; at omnes qui communismum impugnare volunt, in re educationis iuvenum, scholam, quae religionem primo loco ponat, a guberniis suis strenue postulare debent.

Attendamus etiam ad media quibus communistae animos magistrorum sibi devinciunt. Quae sunt sequentia: I decertant pro iuribus et privilegiis magistrorum eorumque sufficienti sustentatione. 2. scientias et imprimis scientias naturales opponunt veritatibus revelatis, 3. propagant pacifismum, liberalem democratiam, 4. laudibus extollunt vitam sub regimine sovietico in paradiso ZSSR. Quae, quin animos minus politos attrahere possint, nemo in dubium vocare potest, praesertim cum actionem neo-paganam, exageratosque nationalismos quorumdam guberniorum ante oculos habeamus. Ubi vero communistae turbas magistrorum secum trahere non possunt, ut, acies adversariorum contra se versa quam maxime debilitetur adlaborant. Quod, extenuando diminuedoque periculum communismi, alios non communistas adversarios magistrorum scholarum ut periculosissimos proponendo, liberalismum praedicanto, et, imprimis communisticum colorem societatum magistrorum celando assequuntur. Ad cuius generis societates pertinet s. d. Internationalis Societas Operariorum in campo litterario (I. T. E. Internationale des Travailleurs de 1. Enseignement) cuius caput Parisiis immediate a Kominterno regitur, item omnium societatum magistrorum, quae ad I. T. E. pertinent communistae potiuntur. Quarum extra territorium sovieticum numerosissima est in Gallia, quae numerat supra 65.000 membrorum. I. T. E. comitatus 19 mebr. praeest, eiusque generalis secretarii partes unus fidissimorum Kominterni agit deputatus G. Cogniot, redigens Parisinam „Humanite" in rebus politicis. Praeter hanc etiam aliae adsunt societates magistrorum partim manentes sub regimine communistarum, quas propter earum multitudinem vix recensere possumus.

In quo certamine in campo scholarum communistae haud uno eventu secundo gloriantur. Inter catholicos tamen non ubique hoc atrox ingensque periculum conspicitur et aestimatur. Qua in re si clerus solummodo passive se haberet, maximum peccatum committeret erga sanctam fidem, erga suam patriam. Conatibus communisticis opponamus nosmetipsos nostrumque zelum. Media ad quae in hac pugna nobis confugiendum est haec sunt: I. quantum in nobis est eniti, ut scholae christianae sint et haud alienae a sensu nationali, 2. curare ut cives familiariter utantar magistris scholarum utque eorum sustentatio respondeat labori atque materialibus necessitatibus, 3. ut oriantur et crescant catholicae societates magistrorum, denique 4. operam dare, ut quam latissime pateat nuda veritas de communismo et eius regno in ZSSR, et imprimis de horribili statu materiali atque morali magistrorum popularium in Russia.

J. B. Sł.

Quemadmodum sacerdotes ad ingenia magistrorum ac praeceptorum conformanda valere possint?

Tota vis bene educandi recteque vivendi, ut illo viro doctissimo Andreae Śniadecki dicto videtur, non solum in scientia utilium doctrinarum artiumque consistit, sed etiam in animi robore ac magnitudine et in omnium corporis voluptatum contemptione atque in omni virtute posita est.

Quis fuerit tam exiguo ingenio qui negaverit hanc sententiam, quam supra commemoravimus, usu atque experientia hominum comprobari. Et revera ita se res habent, si bene considerabimus, quae sit natura hominis, quae ratio eius vitae, quaeque ille desideret expectatque.

Ac primum quidem ponendum est nullam doctrinam nisi Christianam vereque catholicam has omnes difficillimas quaestiones rectius profundiusque explicasse. Qui enim satis viderit, is plane perspiciet religionem Christianam solam omnium divinam esse. Quae quidem omnia certissima et firmissima praecepta, quae ad vitam beatam hac in terra et post mortem ad felicitatem assequendam pertinent, continet nobisque praebet, sine quibus nemo felicitatem ac salutem consequi potest. Tota vis igitur bene beateque vivendi in religione posita est. Quam ob rem homines, qui natura propensi sunt ad felicitatem, expetunt non ea, quae ficta commenticiaque videntur, sed id omne, quod reapse verum, bonum, pulchrum ac honestum est. Ii, qui praeceptis Christi oboediunt ac doctrinam Christianam omni in parte sequuntur, felicissimi sunt omnium. Sed eorum, qui versutis fallacibus et malitiosis „pseudo-salvatoribus" crediderunt et commissi sunt, miserrima est fortuna. Cum vero omnes fere homines in multa opinionum perversitate versentur variisque erroribus imbuti sint, necessaria est eis norma cogitandi et faciendi. Cuius generis firmissimam normam agendi dat religio et doctrina Christiana, quippe quae ab ipso Deo revelata ac pronuntiata sit. Homines, qui religionis expertes sunt, quorumque mores non sunt secundum normam Christi exculti, saepenumero ad id adducentur, ut oblivio iustitiae eos capiat, iniuras alteris inferant, et omnino varii generis sceleribus se contaminent. Religio Christiana continet omnia medicamina malorum et vitiorum, quibus homo saepissime implicatur. Ceteroquin fides, quam Ecclesia praedicat, sacramenta quae ministrat, omnibus hominibus cuiusvis civitatis et conditionis optime aptantur, quippe quae his omnibus, quae homines vehementissime optant et expetunt, optime respondeant. Eius mandata pariter normam agendi tutam et completam, necnon stimulos efficaces omnibus praebent. Itaque religio Christiana usque ad hanc aetatem florentissime viget, quamquam tot horribilibus persecutionibus subiecta erat, plurimae autem sectae confessionesque dirutae ac dissipatae iacent. Itaque quidam Germanorum poeta, qui his temporibus vitam agit, quique nuper fidem catholicam professus erat, Franciscus Werfel, publice quaestionem hanc disseruit, num homo possit sine Deo vivere. Iam vero per totam Germa-

niam peregrinabatur et utrobique argumentis a se prolatis magnam admirationem audientium commovebat. Atque igitur haec fuit conclusio eius dissertationis: Possumus quidem sine religione ac fide vitam agere sed vita eiusmodi sub unaquaque specie miserrima erit! Ex eis, quae attuli, iam satis elucet, religionem fundamentum omnium rerum esse et sine ea nihil boni honestique perfici posse. Nec quisquam homo sine religione bene educabitur. Ex quo fit, ut ei, qui praecepta institutionis religiosae in schola praebent, plurimum valeant. Sed necesse est eos ipsos optimos constantissimosque viros esse.

Quid igitur a praefecto vel parocho praecepta religionis in schola docente expetere licet?

Ac primum quidem quaeritur, utrum sacerdos in schola tantummodo ea, quae in institutione religiosa versantur, doceat necesse sit, an puerorum moribus, consiliis et factis consulere debeat?

Ius canonicum, omnia iura parocho eiusque administris tribuens, nihil de praefecto qui ita appellatur dicit. Sed ex omnibus legibus ab antistitibus Ecclesiae Catholicae latis perspicitur elucetque, sacerdotes oportere imprimis educare et conformare animos moresque discipulorum et deinde demum instituta religionis docere.

Itaque excellentissimus Polonorum Episcopus anno 1908 in concilio catechetarum, qui Viennae celebratus est, copiose ornateque docet eum, qui praecepta religionis exponit, mores liberorum conformare debere. Nunc id ab omnibus catholicis comprobatur.

In legibus multarum civitatum, quae ad educationem pertinent, tantum de magistro religionis dictum est (Religionslehrer). Id factum est propterea quod his temporibus multi principes antistitesque scholarum religioni parum consulebant eoque quod timebant, ne catholici sacerdotes nimis ad ingenia puerorum conformanda valerent. Quae cum ita sint, id summo opere est curandum, ut liberi in unaquaque schola religiosis praeceptis imbuantur, quamvis hac in re athei maxime nos impediant. Sed haec hactenus.

Deinceps, difficile dictu est, quomodo sacerdotes (praefecti) ceteros magistros in eadem schola docentes tractent. Tota res ad hanc quaestionem referri potest: debeatne pariter praefectus magistrorum animos moresque eorum conformare ac instruere secundum Christi praecepta, an non? Qua in re permultum interest, utrum id caute ac sapienter a sacerdote perficiatur, an inconșiderate et temere. Quam ob rem magnopere cavendum est, ne quid in eo genere peccetur. Nam nonnunquam fit, ut quidam superbi professores, cum quoddam a sacerdote moneantur, succenseant et his in rebus magna etiam discidia et turgia inter sacerdotes et magistros nascuntur, saepenumero haec rixae, discidiaque in iudico discernuntur, ubi sacerdotes interdum etiam poena quadam mulctantur. Itaque potius nobis mansuetudo atque clementia Christiana servanda est, omnis autem animadversio et castigatio contumelia et iracundia vacare debet.

Directe hoc modo animos moresque magistrorum conformare possumus:

a) Bonum exeplum praebere debemus id est ita vivere ut Christus imperat.

b) Necesse est quisque praefectus suam disciplinam et omnia praecepta, quae ad rationem bene educandi spectant, expedite agnoscat.

c) Officia nostra diligentissime et suo tempore praestare debemus.

d) Obtemperandum est legibus et mandatis, quae ad constitutionem scholae pertinent.

e) Collaborandum est cum aliis professoribus, exempli causa in lectionibus demonstrativis.

f) In omnibus rebus temperantia atque prudentia adhibenda est.

g) Labores magistri, qui in negotiis extra scholam versantur, benigne et aequo animo nobis aestimandi sunt, nam intelligendum nobis est, ad istos labores magistros saepenumero vi adduci et cogi. Quae cum ita sint, minuenda atque abicienda est opinio eorum, qui perverse dicunt omnes sacerdotes et praefectos malos et iniquos esse et propterea odio esse prosequendos. Rebus et factis nostris comprobare nos necesse est, istos mendaces, fallaces, et malitiosos homines esse. Quo adversarii nostri peiores, eo nos ipsi meliores et humaniores esse debemus.

His in litteris sermo est solum de his magistris, qui aut religioni parum consulunt aut etiam eam impugnant. Maiores difficultates perfringendae sunt ei sacerdoti, qui docet in terris paganis vel haereticis subiectis; In talibus scholis docent magistri pagani vel haeretici.

His in rebus magno consilio prudentiaque opus est et imprimis auxilio Dei, sine quo omne consilium ad irritum redigetur.

Mag.

CHRONICA

CIVITAS VATICANA



De morte Card. Praefecti Congr. Concilii. D. 16 Julii h. a. mortuus est card. Iulius Serafini - praefectus S. Congr. Concilii (photogr. iuxta). B. m. card. Serafini sacerdos ordinatus est a. 1890. A. 1907 nominatus est episcopus Pesciae. Quam dioecesim numquam administravit, quia a Papa Pio X Romae retentus, munus praefecti Seminarii Romani gerebat. A. 1923 a Pio XI secretarius Congr. Concilii nominatus est, et a. 1929 membrum commissionis ad executionem concordatus Italiani. Dignitatem cardinalitiam cum tit. Santa Maria sopra Minerva in consistorio d. 30 Iunii 1930 a. accepit, eodemque anno praefectus S. Congregationis Concilii declaratus est.



Novus praefectus S. Congr. Concilii. Ssmus Dominus in locum mortui card. Serafini, card. Aloisium Maglione praefectum S. Congr. Concilii nominavit. (Photogr. iuxta).

AMERICA

Singularis petitio Sedi Apostolicae de nobili Indiana puella beatificanda ab Indianis tradita. Quinque milia Indianorum, qui regiones Civitatum Foede-

ratarum Americae Septentrionalis incolunt, litteras ad Sedem Apostolicam miserunt, rogantes, ut sua adolescens heroica et pia indigena puella, quae Kateri Tekakwitha dicitur, honoribus ac titulo beatae famulae afficeretur. Quae quidem pia Indiana anno millesimo sescentesimo octogesimo diem supremum obiit et his temporibus ab Indianis, qui fidem catholicam profitentur, ut „Lilium Mohavcorum" colitur. Sepulcrum piae Indianae virginis ad ripam fluminis sancti Laurentii situm est et a multis religiosis peregrinatoribus visitatur adoraturque. Plurimi autem fideles eius opera et precibus multis gratis ac beneficiis cumulati sunt.


Litterae, quae Beatissimo Patri Pio XI erant datae, in variis dialectis compositae atque crucibus subscriptae et signis digitorum impressae sunt. Extremo loco haec a quodam principe cuiusdam gentis in eis litteris scripta leguntur:

„Magno dolore et maerore affectus sum, quod vestrum primum missionarium interfecimus. Sed hoc tempore multo aliter res se habent. Itaque vehementer optamus, ut nobis praedicetis nostram „parvulam" Kateri Tekakwitha pro nobis miserrimis peccatoribus in regno coelorum orare".

Sectarum confessionumque numerus, quae in Civitatibus Americae Confoederatis conduntur, absurde iam crescit. In septentrionali America iam 272 sectae confessionesque a plurimis moderatoribus conditae versantur. Numerus catholicorum est maximus, quoniam 13.306.800 confessores attingit, tum sequuntur methodistae, qui ita dicuntur; ad eosdem 3.707.900 studiosi pertinent, ad Iudaeos — 4.935.000 et plures ceteri. Postremo commemorare necesse est ex omni numero 272 confessionum centum et quattuor sectas minus septem milibus confessorum explere.

ANGLIA

Internationalis atheorum congressus Londyni celebrabitur. Ei, qui societati atheorum praesunt, decreverunt, ut, hoc anno autumno congressus internationalis atheorum Londyni celebraretur. Quae cum ita sint, ei Britanniae senatores, qui eiusmodi obscuros et internationales coetus condemnant, litteras ad Ministrum Rerum Civilium miserunt, quibus eum rogarent ut hunc congressum fieri vetaret. Qui vero Minister, cui nomen est Samuel Hoare, tamen iis rogantibus non satisfecit. Po-



Magna solemnitas in ecclesia cath. Londini. In ecclesia cath. Londini Card. Hinsley, archiep. eccl. cath. 45 presbyteros ordinavit.

stremo tempore senatores senatus consultum ceperunt, quo leges de peregrinis in terras Britanniae immittendis commutatae sunt. Quo quidem decreto atheorum legati variarum gentium prohibiti sunt, quominus huic congressui interessent.


BRASILIA

Episcopus Brasiliae ab antistitibus, qui provinciam Sao Paulo gubernant, opem auxiliumque implorat. Episcopus dioecesi, quae Taubaté appellatur, praefectos publice magistratus, qui provinciae Sao Paulo praesunt, appellavit atque oravit, ut pauperrimis indigenis, qui morbis correpti miserrime moriuntur, adiutorium ferrent. Iam vero episcopus dicit in sola provincia Sao Paulo dimidiam partem parvulorum, quoniam medici desunt, vita decedere oportere.

GALLIA

Missae sacrae, quae ad pacem impetrandam cotidie iterentur. Episcopus Francogallicus dioecesi, quae St. Dié appellatur, praepositus litteras ad suos sacerdotes misit, quibus eis praecepit, ut cotidie in universa dioecesi singulis in paroeciis in vicem Missae sacrae pacis explorandae causa celebrarentur.

Inauguratio ecclesiae cathedralis in Reims. In primo dimidio Iulii in Gallica urbe Reims magna sollemnia celebrata sunt coniuncta cum inauguratione ecclesiae cathedralis. Tempore enim belli mundialis ictu tormentorum destructa est. Caeremoniis adfuit praesidens rei publicae Lebrun, repraesentantes gubernii et comitiorum, clerus Galliae cum cardinalibus, episcopis atque innumera multitudo Gallorum, quibus antiqua ecclesia cathedralis utpote locus coronationis regum Galliae non solum sacra sed etiam historica reliquia est. Ssmum Dominum legatus Card. Suhard primas Galliae repraesentabat. Ad cuius adventum militares hymnum papalem et nationalem cecinerunt, vexillaque militaria honores legato reddiderunt. Area ante ecclesiam cathedralem ingenti



concursu hominum referta fuit. Orationem sacram occasione inaugurationis Cardinalis Legatus pronuntiavit.

GERMANIA

Novum ius matrimoniale in Germania. Die 7-ma Julii publicatae sunt in Germania novae leges matrimoniales. Praescripta huius legis habent, ad mentem principiorum Hitleri, expositorum in „Mein Kampf" pro fine „bonum stirpis". Causae divortii in exigentiis biologicis ibi fundatae sunt. Parentes solum ad procreandam atque alendam prolem ius habent; educatio autem ac efformatio animae totaliter a statu parentibus eripitur.

Quot catholici et protestantes in Germania sint? Ex numeris in litteris Germanicis, quae „Deutsch Evangelische Korrespondenz" appellantur, prolatis elucet in universa Germania hoc tempore 26 milia milium catholicorum, 41 milia mil. protestantium esse.

Catholici sunt in numero 36% omnium civium, protestantes autem 54%. Parochiae erant in Germania 9.808, in Austria autem 2.674, id est his numeris secum coniunctis 12.482.

Parochiae protestantium sunt in Germania 13.347, in Austria 123 — una 13.470.

Sacerdotes catholici saeculares sunt 21.959 atque 4.661 sacerdotes, qui ad ordines pertinent, in Austria 4.841 sacerdotes saeculares et 2.453 monachi, id est his numeris ad se additis — 33.914 sacerdotes fidem catholicam profitentes. Numerus pastorum protestantium 18 milia attingit, in Austria 196, — una igitur — 18.196. Catholicis societatibus, quae in Germania atque in Austria constitutae erant, 132.278 participes adscripti sunt.

Hitleri patronus. Quadringenti iam quinquaginta anni nunc — mense Maio — praeterlapsi sunt, ex quo natus est Udalricus ille von Hutten dictus, „Humanitatis lumen". Reformationis autem acerrimus defensor, quam contra Ecclesiam Catholicam tueri ne turpissimis quidem invectivis in Papam scriptis non dubitavit. Itaque Germanica Acta hodierna, cum hoc anniversarium celebraretur, laudibus Udalricum extulerunt Eumque „nuntium ac patronum nationalis et socialis qui dicitur, motus germanici, primum conscium germanicae nationis et virtutis propagatorem, Germanicae doctrinae nationalis professorem, semper florentem omnium excellentissimorum Germaniae virorum parentem" nuncupaverunt.

HELVETIA

Primas Helvetiae decessit de vita. Mense Julio de vita decessit Primas Helvetiae Episcopus Scheiviler, praeses Internationalis Conventus Congressuum Christi Regis, atque Internationalis Societatis Catholicae contra alcoolismum.

Non solum Helvetia, sed etiam tota Ecclesia morte Ep. Scheiviler orbata est viro erudito et operatore indefesso.

HUNGARIA

Ministri Hungariae apud Ssmum Patrem. Princeps ministrorum Hungariae Imredy et min. Kanya d. 21 Iulii cardinalem Pacelli adierunt, deinde ad Sanctum Petrum profecti sepulcrum Principis Apostolorum venerati sunt. Inde Castel Gandolfo petiverunt ibique in longiori audientia a Ssmo Patre excepti sunt.

Patrona mulierum, quae arti stenotipisticae navant. Hungarici catholici primam operam adhibuerunt, ut pia Christi famula quae Ethel Bognard nominatur, titulo et honoribus beatae afficeretur. Quae quidem pia hungarica virgo anno 1932 mortua est et ex quo tempore sancta habetur.

Iam vero, post patris sui mortem, illa pia virgo per duos annos stenotipistico labore operam navabat et postea in coenobium intravit.

Catholici Hungariae consecrationem episcopi per inventum radiophonicum audiverunt. Reverendissimus Tihamer Tóth, natione Hungaricus, vir summo ingenio, maxima scientia et singulari eloquentia praeditus paulo ante episcopus consecratus est. Cui tam excellenti episcopo munera suffragani, qui ita dicitur, in oppido, Veszprem, commissa sunt. Excellentissimus episcopus a Primate Hungariae Eminentissimo Cardinale, qui Seredi dicitur, in ecclesia, quam Universitatis auditores frequentant, Budapestis consecratus est; qua in aede episcopus Tóth omnibus virtutibus eloquentiae ecclesiasticae — ut nobilis orator radiophonicus — effloruit. Itaque per mirandum radiophinicum inventun primo in historia episcoporum hungaricorum omnibus facultas audiendae huius tam pulchrae celebrationis data est.

Oratio dr Imredy in Parlamento. Princeps ministrorum regni Hungariae, dr Imredy hoc modo solemni more comitiis regni praefatus est: Nos rectores regni laborem nostrum nostrosque conatus ad moralem et oeconomicam nostri regni prosperitatem augendam nunc inhoamus et sicut nostri antecessores ante pugnam ad Deum orare sueverunt, ita et ego Omnipotentem rogo, ut omnibus nobis dare firmam voluntatem dignetur, summam constantiam, verumque amorem Patriae ut finem nostrum feliciter assequamur. Da Domine nobis spiritum Tuae sapientiae ut pugnam spiritualem vi Hungarorum virtutum navare quaeamus, et

viam inveniamus veram, quae nos semper protinus ducat. Immitte, Domine, lucem unicuique Hungarorum ut veram nostram iustitiam cognoscat, eique serviat.

Postea dr Imredy addidit: Sicut in vita uniuscuiusque hominis corpus debet animae servire, ita etiam in vita totius gentis anima debet corpori imperare. Ut in vita singulorum hominum ita quoque in totis gentibus pugna inter corpus et animam committi potest, spiritus tamen populi semper vincere debet.

INSULAE PHILIPINAE

Institutio religiosa in scholas Philipinensium restituta est. Senatores nationalis concilii Philipinensium absoluta maioré parte suffragiorum decreverunt, ut institutio religiosa in omnes scholas publicas in insulis Philipinis sitas restitueretur.

Hac in civitate scholas circiter 1.200.000 liberorum frequentant. Itaque id, quod accidit, summi ponderis ac momenti est.

Nam post quadraginta sex annos, quibus religiosa educatio puerorum impugnabatur, scholae moderatores civitatisque principes in persuasionem venerunt religionem in tota vita sociali ac civili fundamentum prosperitatis esse.

Itaque ad animos Philipinensium in doctrina Christiana renascendos ac renovandos contulit haud dubie ille celeberrimus Internationalis Congressus Eucharisticus, qui in Manilla anno praecedenti celebratus est.

Quae cum ita sint omnia massonum consilia, quae id spectabant, ut religiosa institutio e scholis eiceretur, ad irritum cecidere.

ITALIA

Imaginis B. M. Virginis insigni regii impositio. In ecclesia B. Mariae — Ara Coeli in Capitolio, Romae, impositum est a vicario Ssmi Pontificis, cardinali Marchetti Salvaggiani insigne regium capiti B. M. Virgini in imagine miraculis celebri et claro.

Corona haec aurea et praetiosis lapidibus ornata, sumptibus civium Urbis exarata est.

In sollemniis eius diei permulti, qui summa in Eccl. dignitate gaudent, participabant, etiam delegati status civilis, atque ingens multitudo fidelium.

Devotio legati italici erga Beatissmam Mariam Virginem. Hoc anno centum anni sunt praeterlapsi, ex quo imago Beatissimae Matris Gratiarum in oppido italico quod Mordano dicitur, miraculosa facta est. Quam ob rem italiani regiminis legatus, cui nomen est Grandi, qui suis muneribus Londyni fungitur, litteras ad decanum, qui curam paroeciae Mordanensis habet, misit, quibus haec scripta leguntur:


„*Matrem Gratiarum semper propitiam et miserentissimam Auxiliatricem meae familiae arbitrabar. Illa quoque me semper gravissimis meae vitae temporibus curabat atque regebat. Hanc B. Mariam Virginem semper humiliter, pie constanterque oravi et tum, cum puer essem, eoque magis nunc Illam rogo et flagito, ut mihi omnia, quae ad vitam necessaria sunt, tribuat hoc tempore, quo saepenumero maxima pericula undique nobis imminent. Illa Mater Dei ad hoc tempus mihi ab incunabulis consuluit et semper me ab omnibus periculis servavit; itaque et nunc et in posterum spero, Illam pariter extremo tempore vitae meae auxilium Dei et consolationem mihi imploraturam esse*".

Mordano est oppidulum, in quo hic iste italicus minister natus est.

„*A tempore a quo Virgo concepit in utero Verbum Dei, quamdam ut sic dicam iurisdictionem seu auctoritatem obtinuit in omni Spiritus Sancti processione temporali, ita quod nulla creatura aliquam a Deo obtinuit gratiam nisi secundum ipsius piae matris dispensationem*".

S. Bernardinus Senensis (Serm. de Nativ. B.V. a. I, c. II)

350 Italiani apud Ss. D. P. Pium XI. In consuetudinem venit in Italia, ut in scholis sacerdotes elementorum doctrinae sacrae praeceptores certamina inter pueros instituant, quisnam eorum in catechismo maximos progressus ostendat. Nuper Castel Gandolfo 350 pueri ex 200 dioecesibus advenerunt, qui in ultimo certamine optime periculum subierunt. Liberi imaginem Matris Dei cum infante Iesu in manibus et multos libellos cum elaborationibus religionem attingentibus Ssmo Patri dono dederunt. Quorum diligentissimi numero 24 a Ssmo Patre specialibus praemiis donati sunt. In photogr. superius liberi Ssmo Patri allata dona offerunt.



JAPONIA


Nova Congregatio Sororum Japonicarum erecta est. Sedis Apostolicae Praefectus, Reverendissimus Rejners, qui est particeps Missionariorum Verbi Dei, locis, quibus nomen est Nagoya in Japonia sitis novam congregationem sororom coenobiticarum, qui Seibo Kai nominatur, id est Sorores a Matre Dei constituit.

Huius ordinis primum officium est id curare, ut pueri et puellae recte erudiantur atque educentur, deinde ut feminae religionis Christianae praeceptis imbuantur, tum vero earum opera quo facilior aditus ad familias Japonicas missionariis pateat.

POLONIA

Pactio gubernii Reipubl. Poloniae cum S. Sede. Inter rempublicam Poloniam et S. Sedem conventum est de omnibus locis, ecclesiis et capellis, quae olim in possesione Unitarum fuerunt, quaeque tamen tempore, quo Polonia in ditione Russa fuit, a gubernio russico Unitis ob eorum in fide catholica constantiam ablata sunt. Vi huius pactionis Sedes Apostolica cessit de iure suo in omnes agros, qui Unitarum fuere; Respublica autem Polonia ex sua parte ad sustentandum clerum 12 mil. iugerum fundi obtulit. Quia 9120 iug. fundi iam in Ecclesiae possesione fuerunt, ideo pro 2880 iug. ex fisco publico Ecclesiae 2.500.000 zł. solvendi sunt. Insuper Ecclesiae catholicae reddentur omnia templa et cappellae, quae Unitarum fuerunt, quaeque in usu Reipublicae sunt, exceptis, quae in ecclesiae schismaticae possesionem venerunt.

Scutuli pectoralis B. M. Virgini oblatio. Imago representat scutulum pectorale—quod delegatii Societatis voluntariorum olim militum, iter pedibus confi-



ciendo, B. M. Virgini in oppido Vilno offerent.

In medio memorati scutuli pectoralis, quod ex aere cussum est, in tabula argentea varia inveniuntur emblemata; superius impressa sunt insigna urbis Leopolis, inferius inscribitur: „Ei quae in Porta s. d. aciali lucet, Voluntarii ex urbe Leopoli atque ex regione Czerwińsk, tempore belli pro Libertate 1918 — 1920.

VARIA

Ad proxime celebrandum internationalem Congressum Euch. praeparatio. Proximus Internationalis Congressus Eucharisticus Niceae, diebus a 4 ad 9 Septembris a. 1940 celebrabitur. Ordinarius dioecesis Nicenae Ep. Paulus Rémond delegatos ad congressum euch. bene constituendum invitavit.

In litore maris ara construetur pro Pontificalis Missae sacrae oblatione. Ad maiorem congressus euch. sollemnitatem augendam processio cum Ssmo Sacramento super undas maris proevidetur.

Sacerdotis in Spania martyrium. Athanasius Rodriguez sac., qui solatii praebendi causa delentos in carcere visitabat, a militibus communistis in custiodiam inclusus atque ultimis suppliciis affectus est. Deinde cruci affixus est; milites vero glandes plumbeas e sclopeto mittere discentes crucifixum petebant. Denique omnibus tormentis excruciatus e vita discessit.

Litterae societatis, quae „Pro Deo" vocatur, ad Concilium Confoederatarum Nationum missae sunt. Internationalis Comisio societatis, quae „Pro Deo" appellatur, cuius participes sunt sacerdotes variarum confessionum, litteras ad Praesidem Concilii Confoederatarum Nationum miserunt, quibus eum monerent, se eos antistites et magistratus Russiae ac Hispaniae „rubrae", quae vocatur, id es rebus atheorum ac communistarum studenti, qui catholicos et christianos occidi et omni supplicio excruciari iubent, summo odio prosequi condemnareque.

Quorundam sacerdotum insignitio. Gubernator insulae Borneae nomine Status regni anglicani prodiuturno ac omni laude digno labore in terris missionum nummum memorialem obtulit sacerdoti Mgr A. Vachter e Congregatione Missionum et superiorissae Sor. Franc. Missionariarum.

Sacerdos ex Hibernia Patricius Rogers nominatus est membrum Regalio Britannicae Societatis rebus gestis sacrae.

In sodalem Belgicae Academiae Litterarum cooptatus est sacerdos Josephus Bastina, cuius opera magni sunt momenti in studiis litterarum, in arte herbaria etc.

Academia Litterarum Parisina in socium cooptavit sac. Henricum Breuille, qui peritus rerum gestarum magnam gloriam adeptus est.

SUMMARIUM

Ab Administratione

„Miles Immaculatae" hoc anno tertio quoque mense typis editur.

Pro expensis editionis atque expeditionis quidquid oblatum erit accipiemus. Norma tamen praetii annuae subnotationis 0.65 fr. helv. (4 lirae ital.) habenda est. Praetium unius fasciculi: 0.16.5 fr. helv. (1 lira italica). In Polonia praetium annuae subnotationis 0.50zł— unius fasciculi 0.12 zł.

Omnibus tamen, qui praesertim in terris missionum nec minimam oblationem dare queant, „Miles Immaculatae libenter gratis mittetur; qui autem, quo efficatius evolutionem „Militis Immaculatae" foveant, plus offerre desiderant, id gratissimo animo acceptum iri, sciant.

„Miles Immaculatae" in divina per Immaculatam Virginem providentia futurae evolutionis spem ponit.

Oramus insuper omnes, qui a „Milite Immaculatae" aliquid boni provenire posse sperant, utinter alios periodicum istud propagent.

In sequentibus nationibus oblatio nostro nomine mitti potest: **America Meridionalis. Banco** Polaco, Polska Kasa Opieki, BUENOS AIRES, c: Tucuman 466, Konto Nr. 10.300. **Belgium:** Postcheckambt BRUSSEL Nr. 324554. **Cecoslovacchia:** Postovni sporitelna PRAHA Nr. 59606. **Dania:** Postgirokontoret KOBENHAVN Postkonto Nr. 14924. **Gallia:** Bureau de Chèques PARIS Nr. 1655.93. **Hungaria:** Scheckkonto BUDAPEST Nr. 13.899. **Jugoslavia:** Caisse d'épargne postale BEOGRAD Nr. 66-579. **Latvia:** Bureau de Chèques postaux à RIGA Konto Nr. 4364. **Polonia:** PKO. WARSZAWA, Konto 150.283.

Superiorum et Ecclesiasticae Auctoritatis permissu.

DIRECTOR
P. Maximilianus M-a Kolbe

SPONSOR
P. Pius M-a Bartosik

Directio et Administratio MILITIS IMMACULATAE —
NIEPOKALANÓW (Wr.) Polonia (Pologne)

Niepokalanów, — Typis „Militis Immaculatae"